



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 61. Hungarorum bellum adversus Turcas

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

nes Principes literis Apostolicis, atque Nunciis, quibus eos, ut suos Oratores ad Synodum decernerent, adhortabatur. Hac enim ratione, inquit Platina, infirmare, ac penitus abolere Basileense Concilium intendebat. Indicta hujus Synodi celebratione in id præ omnibus animum applicuit, ut Ecclesiæ Patrimonium e manibus Francisci Sfortiæ eriperet, huncque in finem armis utebatur Alphonsi Arragoniæ Regis, & Picinini, qui copiis Philippi Mediolanensis Ducis præfectus erat.

Sæcul. XV.  
A.C. 1443.

## §. LXI.

*Hungarorum bellum adversus  
Turcas.*

Interea ferventes, quas Julianus Cardinalis Legatus ab Eugenio in Hungariam missus interposuerat, preces optatum habuere successum; Hungari enim ingentem armorum apparatus instruebant, ut Amuratis Turcarum Imperatoris, cujus recens adhuc memoria in eorum animis vigeat, vires, atque potentiam frangerent. Decernebantur quoque Legationes ad Fridericum, & ad Prussos, atque Livonienses Cruciferos Equites, necnon ad Polonos, & Valachos, a quibus auxiliares copię petebantur. Sed cum Fridericus Bohemiam belli tumulti-

Bonfin.  
3. Dec. 5. 86.

Sæcul. XV.  
A.C. 1443.

bus infestam caussaretur, Cruciferi vero exhaustam diuturno bello provinciam obtenderent; ideo nulla subsidia Hungaris submissa fuere. Soli Poloni, atque Valachi validum equitum, peditumque exercitum, promisso etiam semestri stipendio, subministrarunt. Cumque Eugenius sacrum Crucis bellum per omnes gentes prædicari jussisset, plurimi ex Gallia, & Germania hoc classico excitati, sponte sua ad Hungarorum vexilla convolarunt: Unde horum potentia, & numerus insigniter crevit. Cum igitur omnes hæ copiæ selecto prorsus milite conflatae Danubium trajicerent, Sophia urbs (quam antiquam Sardicam esse volunt) occupata est, cumque prope adesse Turcas Rex Poloniæ intellexisset, ab eo Huniades, Vir bello ac pace summus, cum decem millibus equitum, qui hostem, favente noctis silentio, ex insidiis adorirentur, præmissus est.

## §. LXII.

*Huniades Polonorum copiis præfectus.*

*Æn. Sylv.  
de Europ.  
t. 5.*

**H**uniades proprio nomine Joannes Corvinus dictus, eo tempore Vaivoda, seu Palatinus Transilvaniæ, atque Ladislai Poloniæ Regis, necnon Hungarorum exercitus Imperator fuit, atque anno præcedenti partis de Turcarum exercitu pluri-